

Joannem Jurinich Comitatus Varasdinensis Vice-Comitem et Stephanum Koretich Tabulae Regni Judiciariae Assessorem, ex Parte Status Politici, ex Parte vero Status Militaris, Dominum Generalem Campi Vigiliarum Praefectum et Judici Delegati Militaris in Generalatu Carlostadiensi Praesidem Franciscum a Paulich, Colonellum item et Commendantem Confinarii Regiminis Szlunensis Liberum Baronem Adamum a Bajalich, et Supremum Vigiliarum Praefectum Confinarii Regiminis Ogulinensis Liberum Baronem Josephum Portner, pro Commissariis Regiis ea ratione denominare clementer dignatam fuisse, ut ad effectum Articuli 60. ejusdem Diaetae per mixtam, e Statu Militari et Politico Commissionem quaerelae Liberae et Regiae Civitatis Segniensis, circa Tenuta seu Beneficia ejusdem per Statum Militarem occupata, positae, in pertractationem assumantur, Objectum vero Plagae inter viam Josephinam et Carolinam sitae Jurisdictioni Politicae resignandae, prouti et meritum reincorporandi Generalatus Varasdinensis pro hic et nunc in suspenso relinquatur, Sua Majestas Sacratissima actu felicissime regnans Suae Excellentiae Banali pro notitia et directione, ac successiva Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum edoctione clementer significare, ac una committere dignata est, ut praerecensita Individua de facta sui pro Parte Status Politici denominatione Eadem Suae Excellentiae Banalis certiora reddat, circa Locum porro et Terminum inchoandae Commissionis hujus mixtae, pro pertractatione duntaxat, ut praemisum est, querellarum Liberae et Regiae Civitatis Segniensis benigne resolutae, requisita, cum Suprema Armorum Praefectura, sua via eatenus Benignos Ordines acceptura, cointelligentiam foveat, atque dein super defigendo Commissionis hujus Loco et Termino supra nominatos Commissarios edoceat, unaque eos eo inviet, ut conficiendum super operationibus suis mutuum Protocolum successive Altissimae Inspectioni et ulteriori Benignae Decisioni medio Suae Excellentiae Banalis submittant. Pro cujusmodi Benigna Suae Majestatis Sacratissimae Resolutione atefatae Suae Majestati Sacratissimae humillimas gratias agendas, unaque Suam Majestatem Sacratissimam homagiali cum subjectione in eo exorandam Inclyti Domini Status et Ordines decreverunt, ut cum parte ex una per eandem Benignam Resolutionem ordinata e Statu Militari et Politico Commissio eo tantum instructa esse videretur, ut eas duntaxat querellas, quae circa Tenuta seu Beneficia Civitatis Segniensis subversantur, in pertractationem assumant; ad procurandum vero Articuli 60. 1791., qui pariter ad effectum praeexistentium Legum, signanter Articulorum 56. 1741., 128. 1715. conditus esse ex claro suo contextu deducitur, celeriore effectum, necessarium foret, ut priusquam querellae de Tenutis seu Beneficiis Civitatis Segniensis, per Statum Militarem occupatis, tanquam accessorium assumantur, de ipso principali merito, Juribus nimirum, Privilegiis, in integrum horum repositione, atque adeo a Militari Jurisdictione exemptione Liberae et Regiae Civitatis Segniensis pertractatio per mixtam Commissionem instituatur. Parte autem ex alia Dominus Generalis Campi Vigiliarum Praefectus a Paulich, alia Altissimo Loco ordinata Commissione occupatus, ad Commissionem respectu Civitatis Segniensis ordinatam comparere nequirit, Sua Majestas Sacratissima eam mixtae Commissioni Instructionem elargiri dignetur, ut Commissio mixta sine ulla restrictione, non tantum in querellis de Tenutis sive Beneficiis proponendas, sed et de Juribus, Privilegiis, in integrum horum repositione, consequenter a Jurisdictione Militari exemptione Civitatis Segniensis assumere et pertractare; dicta autem Civitas tales plena cum